QVÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS
MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM,
die Iovis, XXVI. Martii,

M. DIONYSIO GVERIN,

DOCTORE MEDICO, MODERATORE.

Datúrne certum graviditatis indicium ex Vrina?



VIDQVID excernitur, sive vtile sit, sive invtile, crassum, tenue, vtriusque particeps in corpore humano, id redolet naturam & ideam partium vnde manat, per quas fluit, & quibus excipitur. Ita providè comparatum à Natura, vt nulla pars vel perexigua, suo & peculiari careat excremẽto: cujus varietas pro coctionis, quæ perficitur insito cujusque particulæ similaris temperamẽto, varietate nascitur. Quò fit, vt triplex emergat (cujus inevitabilis est provẽtus ab impotentia caloris nativi non ignei, sed cælestis, & proportione elemento stellarum respondentis,) triplicis coctionis excrementum. Prioris, quæ in ventriculo, in quo vermes non generantur, absolvitur, stercus est; in gracilibus quidem intestinis à defæcatiore chylo separatum, tandem in crassa, vt onus inutile deturbatum. Alterius, in hepate operâ sui parenchymatis, quando succus qui eò appulit, iam ebullit, fermentatur ac digeritur ad instar musti, triplex prodit superfluitas: bilis sincerior, ad vitam necessaria, in suum folliculum deponitur. Fæx & limus per ramum splenicum ad lienem defertur, vnde in ventriculum refluens, appetitum stimulat, coctionem juvat: deinde vrina per venas emulgentes in renes derivatur. Tertiæ autem coctionis duplex excrementum per cæca cutis spiracula exspirat, exsudatque sordes & sudor, eandem cum vrina habens materiam, & eundem generationis modum, cui ciendo nullum dicatum est medicamentum.

S'0

SED quorſum excrementa Medico, quem omnibus abſolutum numeris raró reperiri exiſtimamus, expendenda proponuntur, niſi vt ex iis claram, obſcuram conſtitutionis variæ in nobis latentis eliciamus cognitionem. Exinde nata Signorum doctrina σημειωτικὴ appellata, pars Medicinæ digniſſima, duas complectens partes, διαγνωστικὴν, προγνωστικὴν, in quarum ambitu totius θεραπευτικῆς cardo vertitur. Illâ pars affecta, quinque modis cognoſci ſolita, actionis læſione, excretis, ſitu, doloris proprietate, accidentibus própriis: deinde morbi ſpecies & illius cauſa detegitur; hâc verò eiuſdem eventus ſagaci ingenio prædicitur. Hæc tamen abſque illius adminiculo vix ac ne vix quidem ſtare poteſt; vt fruſtra quis & invito Apolline ad augurandum de exitu morbi cuiuſpiam ſe accingat, niſi comitem & ſociam habeat διαγνωστικήν. Nihilominus certior longè & conſtantior iudicatur Dignotio, quàm Prænotio. Multa fallunt fugiuntque etiam longo vſu in artis operibus exercitatos. Sæpius natura morbificis oppreſſa cauſis, ac propemodum fatiſcens, præter ſpem omnem reſurgit: ideoque incertæ in morbis acutis prędictiones; incertiores in diuturnis: imò, quod frequens eſt, cùm omnia integræ valetudinis elucent argumenta, incertiſſimæ. Exurgit inde calumnia, inde dedecus: Certè, qui frequenter à ſcopo prædicendi aberrat, ſtatim ſibi detrahit fidem, nec parum de ſua dignitate derogat. Γνώμη δ' ἀρίστη μάντις, ἡ τ' εὐβουλία.

EXCREMENTORVM alia Dignotioni inſerviunt, alia Prænotioni; vtrique non minimum confert vrina; Quæ quamvis potiora de ſe præbeat præſentium ac futurorum indicia, quàm pulſus: imponit tamen haud raró, & eludit Medici lynceis oculis iudicium; nihilque ferè, ſi cum vario linguæ colore comparetur, ſignificat. Eſt enim γλῶσσα ὁμόχροος τῇσι πόσεσι. Si quid patefacit aut indicat Vrina, illud tantùm facit ratione partium vnde fluit, fluit autem à venis. Nam cùm hepatis & lienis habeatur excrementum ex materia potulenta in venis & arteriis excocta & apparata, ab excrementitia bile tincta, à renibus inſitâ virtute prolectata, in hiſque tanquam in qualo percolata, poſtremò in veſicam per vreteres demiſſa; Quid, amabo? præter pepaſmum aut cruditatem quatuor humorum in venoſo genere contentorum, febres, alioſque morbos committentium, eorumque procreatricis facultatis robur aut infirmitatem denuntiabit? Quippe quę apud omnes audiat ὄῤῥος τῶν κατὰ τὰς φλέβας χυμῶν. Itaque nugantur & fucum

faciunt, qui ab illa certa & indubitata petunt auguria, vbi thorax, cerebrum aut vterus morbis obſidentur: vbi invaſit peſtis, in qua θεῖόν τι, & ad cuius præcautionem vſus vrinæ peſtiferus eſt; vbi ſæviunt febres purpuratæ, quibus venæ ſectio ſemel atque iterum repetita multò magis ſuccurrit, quàm bezaar, vnicornis, theriaca, & id genus cardiaca. Cæterùm, in vrina conſiderantur liquor & contenta: in liquore, conſiſtentia, quantitas & qualitas: in contentis, ſedimentum, enæorema, nubes: bullæ, ramenta, furfures, pili, arenulæ, pinguedo, ſanguis, pus, vermes, & cætera, quæ partim propria ſunt & eſſentialia; partim aliena & adſcititia.

VTERVS autem velut divina Faviſſa, in qua Naturę theſauri conditi, vbi fuerit opus, depromantur: & quę iure optimo merita ſit, vt alterum animal appelletur; duplici tunicâ conſtans, inter veſicam & rectum inteſtinum decliviore loco ſitus, nullas habens cellulas, vt in brutis; cùm ſemen virile, cuius eſt helluo, excepit, concepit, factâ ſenſim menſtrui ſanguinis minimè virulenti acceſſione, fouit, miſcuitque exactè, atque innatâ facultate in actum promovit: tunc omnes graviditatis, vernâ magis quàm aliâ tempeſtate fieri facilis, numeros explet. Statim contrahit ſe & connivet adeo ſpiritibus vndique in vnum coactis, vt ne acus quidem tenuiſſima ſubire poſſit: cuius, vt fermento tumentis, meatus quid habent cum renum & veſicæ meatibus commune? ſed quid? in ipſius capacitate ſi ſaburra reſtagnat, vel in eius tuba potiùs, difficulter admodum vrinę in veſica iam factę & collectę permiſcetur & confunditur. Nam quod à venis in ipſum bene moratum & conſtitutum confluit (eſt enim ſentina corporis muliebris) poteſtne per παλινδρομίαν ad venas ſuperiores remeare, ſicque in renes regeri? ſed rarò id contingit, neque Naturę cancellis circumſcribitur. De his tantùm ſermo quę τὸν νόμον καὶ κατὰ τὴν φύσιν ἀεὶ ταῦτα ἐόντα ὁμοίως: legis & Naturę ductu. Ad hęc nobilis virtus διαπλαστικὴ, cuius auſpiciis fœtus formatur, abſolviturque, ſuas dotes planè plenéque reſervat ſibi peculiares, cum aliis partibus quæcumque ſint, numquam communicandas; &, quidquid ſcriptum ſit de fœtu in tuba vteri concepto & efformato, tabulæ. Sunt vnicuique quà renibus & veſicæ, quà vtero ductus & canales proprii, & inter ſe diſcrepantes. Excrementum ex his ſeorſim veniens, omnino varium eſt, diverſaſque διαθέσεις, quibus partes illæ occupantur, notas referens: perperam enim dixiſſent Veteres, ὁμοίαν εἶναι χρὴ τὴν ἀπόῤῥοιαν τῇ ὑποκειμένῃ οὐσίᾳ.

ET erit posthac quisquam qui insigni fallacis istiusmodi inspectionis vrinarum ludibrio, longè valere iussâ veterum Medicorum doctrinâ, mordicus teneat tunc vtero gestare mulierem (ne quidem per somnium visam, & dubiæ forsitan pudicitiæ) cùm vrina, qualis à Mauritanis describitur, apparet; si præterea aliquo tempore asservata in vase probè operto gignat vermiculos: si misturâ vini albi referat elixarum fabarum iusculum: Quibus signis & aliis, quæ isti iactant, cùm longè latèque pateat, & æquè soleant in vacuis & sanis, æquè in suppressione mensium, molæ gestatione, & in prava vteri diathesi, ac in prægnantibus observari, nullo pacto fidendum esse affirmamus. Eiusmodi autem commenta nunquam Principi Medicorum, *cui doctior orbis Submißis defert fascibus imperium,* in mentem venerant. A mensium suppressione si absint horror, febris cibique fastidium; si os vteri conniveat, & cætera concurrant, definit graviditatem: sed &, vt firmior ea de re feratur sententia, consulit, vt dormituræ mulieri aqua mulsa propinetur, vt si experiatur tormina, iam credatur concepisse. Ampliùs, ex colore vultus variáque oculorum indole, & mammarum constitutione, ex positu & motu, an fœtus, & quinam geratur sexus, colligit. De vrina vt conceptus nuntia, ne γρῦ quidem; haud dubiè si quid vir solers, cui primam vrinarum in morbis observationem debemus, scivisset certi inde erui posse, non omissurus. Eius vestigiis qui institerunt, ne exiguam graviditatis vmbram in vrina agnoverunt; quos minimè latuit huius excrementi natura & prompta mutatio. Quid enim mutabilius & corruptioni obnoxium magis? à quovis affectu in ventriculo, visceribus, venoso genere, renibus & vesica, delitescente, citò aliæ atque aliæ à seipsis redduntur vrinæ: hinc tenues & dilutæ, &c. hinc carunculis & furfure scatentes, hinc sabulosæ, non tam sociæ & consciæ calculorum vesicæ (nunquam vsu λιθοντριπτικῶν fatigandæ) quàm renum, persæpe prodeunt etiam in gravidis: Quid de aliis multis quæ eduntur aut bibuntur, & quę afficiunt animum? vrinæ colorem, consistentiam, eiusque contenta immutant.

Ergo datur incertum graviditatis indicium ex Vrina.

Proponebat Lutetiæ GVIDO PATIN, Bellovacus, Scholarum Archidiaconus,

Anno R. S. H. M. DC. XXVI.

cette thèse est la 684e du tome IV in folio des thèses de la faculté.